

cipibus christianis propositum : ut pace atque concordia inter illos omnes teque in primis tuosque hostes conciliata, depositisque privatis inimicitiis, publice communique consensu hosti victori ac fortunae dulcedine ehrio, opes viresque nostras omnes coniunctas atque consociatas opponamus. Atque id quidem nos, si saepe alias, ut dixi, et tibi et reliquis regibus frustra et sine ullo usu proposuimus : est certe ea re tarditateque nostra factum, ut idem Turca et antea non unos suos hostes, et nunc Ismaelem ipsum, qui unus ei ex non christianis imminebat eratque reliquus, debellare atque proterere, imperiique sui fines longe lateque promovere, opesque suas multo et firmiores ad se defendendum, et ad nos aggrediendos, explicatiores paratoiresque reddere sane potuerit. Qui nobis rerum eventus quam sit formidabilis, nemo non videt. Quod si nunc etiam non audiemur, aut potius si liberator noster Christus, qui nos per vicarium suum alloquitur, atque ad populos remque publicam suam tuendam impellit, non auditur, dicamne an taceam ? locus jamiamque tot peccata nostra corrigendi segnitiemque sarcendi nullus dabitur : unusque omnes exitus, una clades atque interitus manebit. Gliscit namque malum serpitque in dies latius, et vires horis prope singulis ita sumit, ut si paululum præterea prestolabimur, ac nosmet ipsos, quemadmodum adhuc quidem fecimus, nostris ipsorum viribus conteremus, spes iam nobis auxilii atque præsidii nulla reliqua sit futura. Quamobrem, per illam te baptismatis tui sacram salutaremque undam, qua te christianum es professus, perque tuum Imperatoris nomen, quod te apud omnes nationes vere magnum et venerandum facit oro, abs teque præcibus omnibus peto et quæso, ut quando tu omnium christianorum regum principem geris, primus etiam odia inimicitiasque tuas, quas cum christianis populis exerves, deponas : proque animi tui magnitudine pacem, si non qua utilius, certe qua 148 facilius fieri potest conditione cum tuis hostibus in eas, omnesque moræ causas plane rejicias, ne per te cuiquam stetisse videri possit, quominos Christianae Reip. Turcarum gladiis ac furori propositæ in tempore succurratur. Id vel officii tui, propter quod Reipub. Christianæ plus quam cæteri debes, vel tui regni causa facere te oportet, ne tuos etiam aliquando populos, si obdormieris, ea ipsa imminens omnibus illuvies atque pernicies trahat. Deinde tuo ut nomini atque gloriae consulas, ne te eum locum tenente, quem tenes, ulla insignis Christianæ Reip. nota atque calamitas inuratur. Demum etiam ut reliqui tuo se exemplo reges ad id faciliores præbeant. Non enim

vereor, cum tu unus nostris fidelibus monitis obtemperaveris, quisquam omnino ut sit Ecclesiæ senatusque consiliis hac in re communique periculo adversatus : ut nostra hæc in Turcas profectio, quam dies atque noctes cogitamus, necessitasque ipsa nobis suadet, parari celerius atque commodius possit. Quemadmodum quidem te facturum, quæ tua semper fuit pietas atque prudentia, sane confido. Reliquum est, ut valetudini tuae servias : a qua tibi non recte esse, permoleste tuli. Quanquam quidem cum has literas dabam, sperabam te convalescere : iam enim erat febricula illa levior, qua tentabare. Salvebis igitur a nobis omnibus, et valebis.

Datae Romæ III Novembris M.D.XIV, anno secundo.

PETRUS BEMBUS.

*Exemplum litterarum regis Poloniæ ad regem 149
Hungariæ et Bohemiæ.*

Serenissimo principi et domino Vladislao Dei gratia. Hungariæ, Bohemiæ etc. regi, marchioni Moraviæ, germano suo carissimo ac honorabili, Sigismundus eadem gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiaeque etc. dominus et haeres, salutem et fraterni ac individui amoris atque omnis felicitatis perpetuum incrementum.

Serenissime princeps et domine, germane noster carissime ac honorabilis.

Post proditam arem nostram Smolensko, hostis noster, longe insolentior quam antea factus, ausus est polliceri sibi, quod facile posset iam exuere nos omnibus terris Russiae quas in hoc dominio habemus. Verum, postquam nos per fluvium Berezynæ exercitum nostrum traduximus, nimia eius audacia repente recedere et labi coepit ; victus est enim primo particulari prælio 28 Augusti per nostros milites, et itidem calendis Septembribus; ex utroque prælio captivi insignes nobis adducti, multi vero occisi, et id omne ad huius belli summam pertinere in primis videbatur. His enim quasi præludiis animi nostrorum militum accensi ulti cruebant in pugnam. Nos vero in præsentissima Dei clementia et causæ nostræ justitia considerandam maximam de certa iam victoria securitatem nobis policebamur. Procedente deinde exercitu nostro et appropinquante castris et stationibus hostium, repente omnes eorum copiæ retrocesserunt ultra Boristenem. Quas noster exercitus dropere insequutus et fluvium ipsum Camersi, tunc